Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 143
Quelle:
Copyright:

occupet Textus luculentior, inserta *Glossa interlineari*, et latera stipet *Glossa ordinaria*, prout in *Bibliis glossatis* habetur. Praefationes omnes absunt; ad calcem tamen subpleta est illa, quae in *Bibl. Gloss.* audit S. *Augustini*, et incipit: *Omnibus diuine scripture paginis euangelium excellit* &c. Sequuntur deinceps quaedam in *Job.* notata, et a diversis manibus temere adjecta quaedam de Eucharistia, Versus mixti morales, v. g.

Est melius subdi, quam stulte uelle reniti.
Diligimus sepe, nobis quod scimus obesse &c.

Alii de Temporibus ecclesiasticis hoc initio:

Que decantauit lugens sua crimina dauid
Exemplo cuius spacio sub temporis huius
Deploremus et oremus culpasque lauemus &c.

Demum Sylloge Sententiarum moralium nullo certo ordine, quarum postremae: *Pecunia non saciat auarum, sed irritat. Occasiones querit, qui uult abamicare. Diuicie addunt plurimos amicos.* Anteriori thecae Codicis inscriptum: *Hunc librum testatus est ad librariam collegij ducalis honorabilis uir dominus mathias puellmair de grintling Presbiter frisingens. diocesis.* Nullo, quod sciam, academico munere functus.

XCVII.

U. 62 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 121. 4. triplici, ut antecedens, perscriptus columna, et a. 1540. legatus ab *Job. Fabro* Ep. *Vien.* contubernio studentium literis Adolescentum ad D. *Nicolaum* a se condito, ut Πρόγραμμα praevium typis excusum fidem facit, complectitur idem *Johannis Evangelium* cum iisdem *Glossis*, et quidem Praefatione pariter destitutum. Thecae posticae adglutinata est membrana mutila Instrumenti cujusdam *Emancipationis* dati *Pragae* a. 1404. et firmati a *Martino quondam Galli de Tirnauia Olomuc. Dioeces.* Notario publico.

XCVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 98. 4. non una manu, partimque per tres, partim per duas columnas exaratus, rubricis distinctus, et ab eodem *Job. Fabro* eidem Contubernio anno 1540. adscriptus continet I. idem *Johannis Evangelium* cum iisdem *Glossis* praemisso tamen supra dicto Prologo, cujus initium: *Omnibus diuine scripture paginis* &c. item Loco e *Bedae Homilia de Nat. Domini*, et quodam Parallelismo U. 63